

III. Tertia pars, *contra auaritiam & cupiditatem*, qua cuperent fortasse ditari ex idolis, & ob id aut parcerent, aut mitiùs tractarent idola. Obserua anathema esse etiam aurum & argentum, quo illinita sunt idola.

## CAPVT VIII.

**I**mmoratur in eodem proposito, nimirum verum cultum Dei religiosissimè retinendam esse Iudæis, & operam dandam, vt in terra Canaan nulla ratione à præceptis Dei se abduci patiantur. Hæc propositio est, & ad eam referuntur omnia argumenta huius capituli. Porro quædam ex superioribus repetit, quædam verò de nouo addit. Quatuor initiò conglobantur, quæ iam superiùs exposita sunt. Nam quod obseruantes Dei mandata victuri sint, multiplicandi, ingressuri terram, & constanter eam retenturi, ex superioribus repetitum est. Noua verò hæc sunt. 1. à via 40. annorum, & magnitudine laborum. Ostendit autem quo fine tot annis Dominus hunc populum afflixerit: vt innotesceret, quales futuri essent cultores mandatorum Dei. Argumentum igitur tale est. Finis omnium peregrinationem vestrarum iste fuit, vt habiles & idonei redderemini ad seruanda Dei mandata. Ergo studiosè hoc faciendum est. 2. Argumentum est à præstantia cibi, quem in deserto habuerunt, nimirum Man, de quo